Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2175
Quelle:
Copyright:

ad primum verbum — multi ex eis implacabiliter turbati sunt Et vnus pre multis ac inter alios magnus Reuerendusque magister (Joh. de Falkenberga O. P.?) *Coram hoc sacro Constan. concilio hac occasione vt a multis creditur sermonem assumpsit. In quo truncata diuini apostoli pauli verba recepit pro Themate* a dextris et a sinistris, *truncauit nimirum et tacuit* per arma iusticie. *Juste quidem quia non per arma iusticie sed per verba iniurie a dextris et a sinistris Statum ecclesiasticorum prelatorum inuasit* &c. Contra hunc igitur et hujusmodi graviter insurgens inter alia dictum etiam cujusdam Religiosi in Concilio sparsum affert: *Quod contra clerum ecclesiasticum tale semen in populo seminaret, quod in eternum illud eradicare non valerent;* et finit: *In qua litera* (Univ. Paris.) *vltimata est petitio ut etiam error Johannis parvi refutatus parisius per 140 doctores baccalarios et licenciatos in theologia condempnetur eciam constancie.*

XXVI. *fol.* 295. sine titulo *Sermo de omnibus Sanctis* in illud: *Signum magnum apparuit in celo* &c. Initium: *Hec mulier que in verbis propositis tamquam signum magnum in celo apparuisse dicitur et celestibus insignijs ornata describitur — sanctam ecclesiam triumphantem congrue signat* &c. Ex decursu liquet Sermonem hunc in Synodo *Constantiae* habitum fuisse, cumque hic inter duos *Petri de Alliaco* Sermones medius sit, quidni illum huic eidem *Petro* tribuamus, quamvis *binis* de eadem Celebritate in edit. *Argentin.* supracitata non adnumeretur. Confirmat id *Cod.* DCCCCLXIX.

XXVII. *fol.* 300. p. 2. *Sermo*, ut ex calce praeoccupo, *domini petri cameracens. qui est factus ad honorem sancti lodwici filij regis sicilie* (Caroli II. Claudi) *qui fuit frater minorum et pontifex ecclesie.* Incipit: *Euge serue bone* &c. *Ad laudem sancti et beatissimi confessoris atque pontificis lodowici* &c. et habetur in edit. *Argentin.* suprac. ubi dicitur *factus in concilio generali habito constantie Anno domini. M. CCCCXVII.*

XXVIII. *fol.* 305. p. 2. Notanda quaedam *de Dilectione Dei et Proximi*, pro sacris dictionibus, in quibus citatur *M. Henricus de Hassia.*

XXIX. *fol.* 307. Notanda similia de sacra Caena, ubi agitur *de Praeparatione, de quadruplici modo manducandi, de modo se preparandi et disponendi digne ad communionem* &c. Initium: *Bernhardus in sermone de corpore christi dicit, quod homo cum in honore esset* &c.

XXX. *fol.* 235. Similia de doloribus et gaudiis B. V. Mariae. In illud: *Stabat autem iuxta crucem* &c. Et: *Gaudere autem oportebat, quia hic filius mortuus erat et reuixit.* &c.

DLXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 235. 4. currente calamo 432